



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

VITA ET MORS ZACHARIÆ PATRIS IOHANNIS BAPTISTAE, PER D. EPIPHANIVM
Constantiæ Cypri Episcopum scripta. Habetur in libro eius
de vitis Prophetarum.

6. Noueb.
Zacharias
sacerdos
occiditur.



ZACHARIAS adhuc alius fuit, cum Propheta, tum sacerdos, Iudas sacerdote prognatus, Ioannis Baptistæ parens, quem Herodes ille Tyrannus iuxta aram domumque Dei occidit. Effususque est sanguis eius in vestibulo templi Domini. Is natione Hierosolymitanus erat de familia Dauid, officialis in domo Domini. Inter cætera, quæ vaticinatus est ille, de origine quoque & natiuitate Christi nonnulla prophetauit. Eo igitur in loco propheta, cum in domo, tum à templo haud procul humatus est. Ex eo sanè facta sunt in delubro illo, seu templo, & ostenta, & stupenda miracula, phantasiæ nempe, hoc est visiones. Cæterum sacerdotes nequibant amplius neque angelorum visa oculis usurpare, neque oracula siue responsa populo ex Dabir reddere. Neque etiam poterant in Ephod per signa & portenta respondere, quemadmodum prius soliti fuerant, vsque ad tempus hodiernum.

ITEM DE HOC EODEM ZACHARIA, PER D. BASILIVM
Episcopum. Ex homilia eiusdem de humana Christi generatione.

Quod autem Maria perpetuò Virgo remanserit, etiam Zachariæ declarat historia quædam, quæ ex traditione ad nos vsque peruenit. Zacharias enim Mariam post Domini conceptionem in virginum loco constitutus, à Iudeis inter templum & altare interfectus est. Apopulo nanque accusatus, quod rem prodigiosam inauditamque prædicaret, virginem videlicet parientem citra virginitatis corruptionem.

ITEM DE ZACHARIA PATRE IOHANNIS BAPTISTAE
ex D. Gregorio Episcopo Nysseno. Habetur in oratione eius habita in die
natiuitatis Domini, nuper per Petrum Franciscum Zinum
Veronensem Latine reddita.

NON erit intempestiuum, si incorruptæ matris testem eum, qui inter templum & altare fuit occisus, proferamus. Hic est sacerdos Zacharias, non sacerdos solum, verum etiam propheta: Ac prophetiæ quidem potestas in Evangelij libro declaratur, cum viam hominibus muniens diuina gratia, nè Virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium assensum sic exercuit, vt foemina sterilis, & vir iam ætate confectus, filium susciperent. Hoc mirandi virginis partus proocinium fuit. Etenim sicut Elizabeth, quæ sterilis ad senectutem peruenerat, non potestate naturæ fit mater, sed ei diuino consilio filius nascitur: sic quod in virgineo partu non credendum videtur, si referatur ad Deum, credibile est. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuncius stellaris, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequam, in lucem prodiret, in aluo matris exiliuit, simulac natus est præcursor Verbi, prophetico spiritu Zachariæ silentium soluitur. Quæcunque autem disseruit Zacharias propheta, ad futurum spectabat.

Luc. 1.

Zachariæ
prophetia.

Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cum virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo virginem matrem à loco virginibus per legem assignato non semouit, Iudeosque docuit naturam humanam vnâ cum reliquis omnibus rerum omnium effectori & Regi ita subiectam esse, vt arbitrato suo eam ipse regeret, non autem ab ea regeretur. Itaque in manu ipsius esse, nouam ortus rationem moliri, quæ matrem esse virginem non impediret, quamobrem eam se à virginum loco non exclusisse. locus autem ille erat spatium quoddam inter templum & altare.

A Iudæis
in templo
interfici-
tur.

Cum igitur audiuisent Iudæi rerum omnium Regem in vitam humanam diuino ordine prodijisse, metuentes, ne Regi subderentur, sacerdotem, qui hæc de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificantem interfecerunt.

DE

SURIUS

q. bar.
Nomen
EVITI
5